

Controversiae; ideo Articuli 39. Anni 1715., Art. 17. An. 1723. quemadmodum et Art. 116. An. 1715. quoad Rectificationem specificatarum ibidem Metalium Differentiarum confirmantur, atque in effectum deducendi statuuntur:

§. 1. Et praeterea annuente benigne Sua Sacra Regia Majestate, Articulus 69. An. 1681. et in eodem citati, circa Decimas Districtus Metlikae, Capitulo Zagrabiensi restituendas, iterum renovantur et effectuari decernuntur.

Subsidium pro Militia, aliisque publicis Regni Necessitatibus per Status et Ordines Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae solvi consuetum; una cum media Tricesima et Auctione ordinatur.

Articulus 54.

Quoniam per notabilem in Confiniis stipendiatae Militiae Adactionem, Banalisque et Judiciariae Tabularum Exolutionem longe majora, quam anterioribus erant, Regnis illis et miserae Plebi, praeterita Bellorum occasione, variisque temporum injuriis, ad incitas propremodum redactae accessissent et imperpetuata haberentur onera;

§. 1. Hinc in oportuno talium supportandorum subsidium, Summefata Sua Regia Majestas Benignitatem et Clementiam Suam erga praefatorum Regnorum Status et Ordines ulterius quoque contestatam reddere cupiens, benigne applacidavit; ut formalitate Articuli 75. An. 1681. praeter Auctionem Regno aliunde cedentem, Regnorum illorum Mediae Tricesimae et Ordinariae Contributionis Proventus, in Confiniorum et Militis Confiniarii, aliorumque Publicorum et Politicorum quoque onerum Exolutionem ulterius quoque convertantur;

§. 2. Ita tamen; ut Regiae Suae Majestati de Anno ad Annum notitia detur; in quos usus, praescripti (Regium alias Aerarium respicientes) Proventus, impensi fuerint.

De Pulsione Boum, per Portum Buccari.

Articulus 55.

Admittit clementer Sua Sacra Regia Majestas; ut conformiter ad Artic. 117. Anni 1715. Boves per Portum Buccari libere pellantur.

Civitas Segniensis, in Integrum Jurium suorum restituitur et intuitu Capituli Segniensis; Articulus 57. Anni 1647. confirmatur.

Articulus 56.

Erga querulosam Liberae et Regiae Civitatis Segniensis, contra Officialés Militares de variis Injuriis et in Oppressionem Jurium suorum attentatis Praejudiciis; ac Nunciorum suorum ad Diaetam Regni Hungariae et praefatorum Regnorum